1

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

mané discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-septimâ Martii 1707.

M. JOANNE-FRANCISCO FOY-VAILLANT, Doctore Medico, è Regiâ Inscriptionum & Numismatum Academiâ, Præside.

An statim ab assumpto Cathartico somnus?

I.

AUXILIA Medicinæ præsentiora, quibus tollit morbos, arcet mortes, Phlebotomia, Catharsis: ut agant tutiùs, opportunè tantùm præbenda. Sic raró purgandum in acutis. Habenda ratio loci, temporis, ætatis, & morbi, in quibus convenit aut non. Indulgendum consuetudini. Sunt quibus simul aut bis, & quibus plus aut minùs, & particulatim oporteat offerre. Antecedentia, consequentia, attendendi locus non infimus. Corpora, ubi quis purgare voluerit, facilè fluentia facere oportet; hanc lubricitatem conciliabit enema non solùm, pariet etiam somnus: ἀπὸ τοῦ ὕπνου γὰρ τὸ ὑγρόν. Hinc manè propinandorum Catharticorum mos, nunquam nisi insummis casibus violandus; Verùm quæ antrorsùm ducebant, eadem sæpiùs à tergo periculosa. Hujus est ordinis somnus à medicamentorum potione, qui scilicet eorum minuit vires, ipsorum obest effectibus, in gravissimas angustias ægrum aliquandò reducit.

II.

REMEDIA, quotquot Ars aut adhibet aut adhibenda proponit, in sanitatis revocationem, exilium morbi tendunt. Dolores inter assiduos interdùm novos infligit, at temporaneos quibus infixi eripiuntur. Vires prostrare videtur venæ sectio, quæ alacriores indè resurgunt;

vacuare penitùs purgatio, ex quâ potiores repletiones evadunt. Ne metuant ergò Medici ſuâ ſæpè, ægrorum ſæpiùs timiditate ducti impura fatigare corpora, donec virus omne, accreſcens in dies quandò ſinunt, depoſuerint. Caveant ne blandiendo nimis ægrotantibus labem adaugeant, dedecus ſibi procreent. Faſtidiis vix ſuperabilibus conſulant, amarorem Aloës exempli gratiâ minuendo, inſipidam ac penè nauſeoſam acuendo Caſſiæ dulcedinem, modò efficacia eorumdem intacta remaneat. Guſtui quantùm licet fiat ſatis, & ſimul intentus finis obtineatur. Gratulabitur æger Medico, ægro Medicus: erit utrinque gaudium. Quæ verò ſcopo nocitura ſunt, quantumvis exoptata valdè & expetita mali tanquam ominis avertantur: ad ſcopum enim referenda indeſinenter media, ipſum ut attingant.

III.

SOMNUS imago lethi, viſceribus attamen ἄρτος ἀναςχημότερος in homine cum vigiliâ diviſum habet imperium. Ceſſatio ſenſuum tum externorum tum principis rectè definitur. Ubi animo & corpori otiandum, neque lædit ſomnus neque culpandus eſt. Tunc namque temporis unica operatur functio vaga & exlex, vis imaginatrix nempè ſomniorum parens, ad temperamenti cognitionem nihil ferè conducentium. Et certè duces adſunt inordinati ſpiritus, qui confusè admodùm totam ventris ſupremi regionem pervadunt, huc illuc excurrunt, frequentiùs contritos anteà tramites relegunt, pro conſuetâ inter-vigilandum impulſione majori minorive ad partes quaſdam turmatim remeant, quas ob levem fibrarum orbiculatarum reſiſtentiam facillimè commovent; hinc nocturnæ pollutiones in Venereis mortalibus, quorum humido genitali turgent veſiculæ ſeminales; hinc in pueris, quorum alvus ſcatet colluvie nimiâ, & lubrica jam eſt, inter-domiendum egeſtiones involuntariæ: malum ſanè, ſomni ab aſſumpto cathar-

tico comes, non autem unicum; namque, etſi ceu irritamentum impuris humoribus exitum ſuſdeve quærentibus miniſtretur, eget tamen adhuc inſito nobis adjumento (ſpiritibus) quod ſi non omninò, ſaltem ex parte ſomnus adimit. Quid indè? diverſi proveniunt effectus, iique peſſimi; quin ægri, nedum levatio contingat, res longè fit anguſtior.

IV.

CATHARSIS duplex: una per ſuperiora, vomitio audit: altera per inferiora, purgatio ſimpliciter dicitur. Hæc hyemem ac melancholicos, illa pituitoſos potiùs æſtatemque ſpectat. Quæ ducere autem oportet, quò maximè vergunt eò ducenda. In utroque caſu agitur ferè ſemper de viarum primarum munditie, humanæ enim machinæ Camarina præcipuè ventriculus. Ejus muſculoſam membranam feriunt & vellicant medicamenti purgantis ſalia, ut nidulantes in glandulosâ ſuccos heterogeneos excutiat; aſt metus incurrere debet haud mediocris ne irritatio fiat major, dum ſpiritus contra nitentes abſunt, neve phlogoſes aut exulcerationes conſequantur. Cerebri autem inter-dormiendum ſpiritus plerique ſunt hoſpites, hypogaſtrii pauci. Aliundè quæ Cathartici particulæ chyli & ſanguinis vehiculo artus omnes ſubeunt, ſordes ex illis eliminaturæ, rectore ſpiritu orbatæ recrementa quædam ſecum inducent, complures halitus tetros ad ſacram Palladis arcem efferent, quæ non movenda movebunt, non movebunt quæ movenda; & erit noviſſimus error pejor priori. Quæ ſcilicet hærebant velut in limine, privatos intra parietes retrahentur, undè profectò avulſio eò difficilior, quò robur ſuppetit imbecillius. Reverâ ſomnus reficit, vires inſtaurat, ſed non præſe fert; dat, ſed non habet. Præterea quonam in ſtatu expergiſcit ægrotans, qui ſumptâ potione dormitavit! Anxietates, dolores capitis, vertigines, cardialgiæ, tormina malæ mercis ſunt fructus

pessimi. Qui dubitant, meminerint nobilis illius fœminæ à biennio defunctæ, cui variolarum initio præscriptum emeticum, somnus exindè concessus; quàm citò, quàm miserè pœnas erroris persolvit!

V.

HIPPOCRATES, cui in medendi peritiâ prima laus, seu olim valentiora corpora, seu ignotæ mitiores, alias à nostris imperabat φαρμακείας: apprimè tamen analogiâ servatâ methodus eadem retinebitur. Cùm quis bibisset veratrum, ad motus quidem corporis magis ducebat summus ille Vir, ad somnos verò quietemque minùs. Si nihilominùs hellebori vis esset acrior, statutum invertebat ordinem, corpus non movebat ampliùs, somnum faciebat seu hypnoticas exhibendo potiones, seu quovis alio modo: imminutæ somni operâ catharticorum actionis illustre argumentum! Nos, quibus in promptu sunt generis utriusque medicamina, ut vehementia ità & blandiora, relictâ cautione adjunctis duntaxat accomodatâ, ubi purgare fortiter voluerimus, Sennâ, Jalappâ; Scammonio, Stibio utamur; ubi segniùs, Tamarindi, Manna, Cassia leviora cathartica nobis offerent. Ab alterutro sumpto prudens sex rerum non naturalium adhibeatur usus. Quies servetur amica, lecto se componat æger mediâ saltem diei parte, ne unâ quidem ejus particulâ aëri nudo sese committat, animi pathemata exulent, alimentorum nulla fiat ingurgitatio, quæ purgationis opus interturbaret: præcavendi etenim quicunque evacuationi salutiferæ obices;

Non ergò statim ab assumpto Cathartico somnus.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS OLIVARIUS DE CUVILLE, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1707.

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.